



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

272 Varia ac multiplicia exempla annexorum spiritualibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

271

*Idem trium
raduum dis-
crimen.*

art. 1. & seqq. ac præcipuè 4. art. Quibus ex lo-
cis omnibus pariter coniunctis intelligimus,
gradum primum spiritualium consistere solis
1 in iis quæ per sese purè, simpliciter & absolu-
tè, seu substantialiter, & vt nostri loquuntur,
essentialiter, sunt spiritualia; sicuti septem do-
na Sancti Spiritus, & Charismata seu gratiæ,
2 virtutesque diuinitus infusæ: secundum gra-
dum esse rerum quidem spiritualium, attamen
minimè per sese, sed per causam, vel vt nostri
loquuntur causatiuè vel instrumentaliter; qua-
lia sunt sacramenta per quæ tanquam per in-
strumenta quædam nobis dona Dei superna-
turalia conferuntur, quæ duo priora spiritua-
3 lium genera immediatè ex Dei solius institu-
tione sunt spiritualia. Tertium deniq; gradum
esse spiritualium nec essentialiter nec instru-
mentaliter nobis ab ipso Deo immediatè reli-
ctorum, sed ab Ecclesia Christi secundum po-
testatem supernaturalem sibi diuinitus à Chri-
sto concessam destinatorum & institutorum
ad finem tum cultus diuini rite debitæque &
quidem sanctiùs ac reuerentiùs exercendi tum
salutis animarum nostrarum cõmodiùs pro-
uehendæ; qualia sunt omnia quæ prioribus
duobus rerum spiritualium generibus annexa
sunt, & à nostris destinatiuè vel finaliter vel
statutiuè. i. per statutum Ecclesiæ spiritualia
dicuntur; vt sacramentalia, quæ dicuntur, & eis
4 annexa, nimirum sacramentorum conficien-
dorum & administrandorum ritus, Ecclesia-
rum & suppellectilium Ecclesiasticarum conse-
cratio-

272

*Varia acmul-
tiplicia exem-
pla annexorū
spiritualibus.*

craciones, Ecclesiastica beneficia, ius patronatus, aliaque id genus. quibus ibidem Nauarrus adnumerat aquæ baptismalis & lustralis benedictionem, exorcismum, catechismum, beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, renunciationes, & similia. pertinere reor eodem solènes benedictiones cereorum, ramorum palmarum, granorum rosarij, Agnorum Dei, panum, campanarum deniq; vel aliarum rerum, quin & Sanctorum canonizationes, cum reliquiis eorundem. Quod quidem tertium postremumque spiritualium genus in duos rursus gradus aptè subdistinguitur, quandoquidem alia plus habent spiritualitatis (vt ita cum nostris loquamur) & minus corporalitatis, & à spiritualibus omnino dependent; vt Ecclesiastica tum beneficia tum officia, quæ non Christiano cuiilibet sed solis competunt clericis vt hominibus diuino cultui singulariter destinatis: Alia verò plus habent corporalitatis vel temporalitatis, minus autem spiritualitatis, & à spiritualibus non dependent sed ad spiritualia duntaxat ordinantur seu referuntur, & ordine temporis vsus spiritualium præcedunt, & in hominis cuiuslibet Christiani quantumlibet non clerici sed laici possunt esse quadamtenus potestate, sicuti sunt ius patronatus, iura sepulturarum, calices, & alia vasa sacra, cum vniuersa supellectili sacra; quæ subinde priuatorum est, non clericorum solorum sed & laicorum sacella vel domi suæ vel in publicis Ecclesiis habentium. qualia spiritualia laicis etiam

273

*Spiritualia
per annexio-
nē b'fariam
subdistingui.*

274

*Annexa de-
pendenter.*

275

*Annexa an-
tecedenter.*

276

*Res quedam
sacra priua-
rum qua-
damtenus.*